

to dogmatico, in his ultimis, innixus, saluari, licet per ignem, omnino potest, 1. Cor. III. 12. seqq. 15.

IV.) De filiis, Parentum culpam portantibus.

IV. Contra tot simplicium Gentilium, infantum cum primis etiam, damnationem, pugnare quidem videtur dictum Ezech. XVIII. 4. 20. *Ne filius pro Patre cet.* itemque Canon ille: *Non priuatio, sed contemptus mediorum* salutis, damnat. At nihilominus nostra, secundum S. Scripturae dictamen, supra Cap. I. thes. 9. lata sententia, firma atque stabilis, omnisque a Deo culpa remota manet, siquidem nititur *περὶ γνώσεως* omniscii Dei, atque Canon, modo dictus, interprete AFFELMANNO, in *Append. Dispp.* 308. sic ad infantes Gentilium applicandus est: Damnantur hi, propter incredulitatem et contemptum potentialem, non propter contemptum solum. Ceterum rationem habentes immensae Dei misericordiae, sapientissimo illius iudicio, cum MEISNERO, in *Anthropol. Dispp. VII. Qu. 2. p. 215.* aliisque, *C. I. th. 8.* adductis, omnia relinquimus. Super ea, quae scripta sunt, non sapimus; si quae uero, non scripta, abundans super omnia Dei misericordia, facere, in misellis hisce, decreuit, pro eo Miseratorem Maximum, gaudio delibuti, mirifice celebramus.

V.) De Gentilium salute, per Christum in nobis Fanaticum.

V. Si dicas, per *Christum Fanaticorum internum, punctum salientis, Sophiam, Lumen internum*, idque *primi Articuli, Spiritum, Dei imaginem, fidem et Euangelium naturale*, per illud, *nescio quid*, Gentiles fieri posse excusabiles et saluos. Resp. 1) Christum, ita descriptum, tota nescit Scriptura, in qua *unus* tantum Christus, idem scilicet *in nobis*, qui *pro nobis*, fuit, innotuit, 2) uerus Christus, *λόγος* ille *ὑποστατικός*, non excludit *λόγον προφορικόν* et inde conceptam fidem, quae in Gentilibus desunt, per Euangelium demum Christo inferendis, Ioh. V. 39. XX. 31. Eph. III. 17. 6. 3) absonum E. delirantium hoc est, Gentiles saluandi, medium; non entis nulla affectio. Dudum est, quod ex inferno, per suum Pseudo-Christum internum, eripere uoluere diabolos et damnatos; hinc adeo et nunc, per eum Gentiles, Christum nescientes, ad aeterna gaudia promouere uolunt.

VI.) De religione Gentilium, quam habuerint, nulla.

VI. Nulla fuit Gentilium Religio; Excusabunt se igitur: Ignorauimus Deum, Ps. XIV. 1. Act. XVII. 23. Eph. II. 12. IV. 10. Apoc. XXII. 15. 1. Thess. IV. 5. Resp. 1) Ratione, non *τῆ ἔτι*, quod Deus sit; sed ratione *διότι*, qualis sit, saltim ignorarunt Deum. 2) Ignorantia pravae dispositionis, 3) comparatiue saltim, nullam habuere religionem, 4) tenebrae ignorantiae eorum non sunt proclus *negatiuae*, sine *omni luce*; Lux enim

enim